



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopos Et Comites In Regno
Caroli Constitvtos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

apostolicis monitis obsequentem semper in Christo bene valere.

EPISTOLA CCCXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO
CAROLI CONSTITVTOS.

*Laudat illos, quod in fide constantes erga Carolum persisterint:
& de legatis, quos ad componenda dissidia mittebat
in Galliam.*

BENEDICTVS Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, qui vestræ sinceritatis fideique constantiam duriorē, vt ita dixerimus, adamante erga fidelitatem inuictissimi principis domni Caroli spiritalis filii nostri, semperque Augusti, hætenus non indebite fecit persistere, & quanti calor in vobis caritas vigeat, dono gratiæ largitatis suæ clarius demonstravit: quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ suæ, & diuitias bonitatis suæ, ad profectum fidelium, & ad correctionem infidelium, omnibus reuelaret. Ostendistis enim, carissimi, quantum sit erga pacis & concordiæ cultum vestræ beneuolentiæ benignus affectus, & implestis opere quod ipse a vobis exigit Christus, dicens in euangelio: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Vnde noster apostolatus immensæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti sufficientes ac laudes debitas, quia nihil sine eo facere possumus, retulit, & vobis, qui studiose tanto imperatori fidem immaculatam seruastis, multimodas gratiarum actiones agere, dignisque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectissimi, satis vobis prudenter consuluistis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel sponte, vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, sicut diximus, fidei calore vtentes, & Deum præ oculis habentes, noluistis iniquorum vel tyrannorum fascibus onerari vel maculari. Quin potius restitistis, prauitibus eorum non consensistis, & peccatis alienis minime communicastis. Idcirco libere dicere valebitis: Non ad-

Matth. 7.

Iac. 10.

hæsit mihi cor prauum: quoniam nulla pars fidelis cum infideli, Christi ad Belial, iustitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita est, state in fide, & viriliter agite, seniorique vestro domino imperatori fidem specialiter repromissam, sicut cœpistis, inconuulsam seruate, & in melius confortati eiusdem honori seu profectui provideate: ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus spiritalia, pro terrenis cælestia gaudia amittatis summo opere decertate; scientes quia adiuuante illo qui dicit: *Qui perse-* Matth. 10.
uerauerit usque in finem, hic saluus erit, & posse vobis cælitus dabitur, & perseuerantia tribuetur: opeque summæ diuinitatis vestrum cor confortabitur, imo & ad omnes inimicorum insidias reprimendas confortabit Dominus mentes vestras in caritate & gratia, & tuebitur vos in sæcula sæculorum: vt iterum atque iterum benedicatur Dominus & Pater Domini nostri Iesu Christi, & a nostro pontificatu, imo ab vniuersis Christi fidelibus, vobis innumera gratiæ referantur. Porro, si qui adhuc, quod minime credimus, in aliquo læsi quicumque vestrum reperti fuerint, hortamur vt respiciant, & dignam emendationem se corrigendo exhibeant. Nam cuiuscumque sit sublimitatis, dignitatis, vel ordinis, qui cum præsentibus legatis nostris, Ioanne videlicet & Ioanne venerabilibus episcopis, dilectis quoque familiaribus nostris, quos vice nostra illas in partes ad examinanda, simulque diffinienda canonice, siue legaliter, quæ hoc anno inter vtrosque fratres emerfere negotia, conuenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectauerit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore confortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vel gloriam vestram in Christo bene valere. Data XIII. Kalendas Martias, indictione IX. *Recitata in Synodo Pontigonensi.*